



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Gasparis Vilelae Ad Socios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11473

dere, denique vt factis verba consentiant, è quattuor consiliariis duos confestim interficit: nam reliqui duo, quorum alter fuit princeps nefarii consilii Minguames, rem odorati, mature diffugerant: qui tamen, quòd summa diligentia conquirebantur, nequaquam euasuri potentissimi Regis manus existimabantur. Hisce rebus perlatis in Indiam, Antonius Quadrius noster, id ipsum vehementer optante Prorege, idoneam nauigandi tempestatem exspectabat, vt Socios aliquot Manomotapam mitteret ad cæpta promouenda, quæ felicem omnino progressum habitura sperabant, eius Ecclesiæ fundamētis tam innocenti castoque sanguine positis.

Nobis interea, carissimi fratres, omni cultu & obsequio propitiandus est Dominus; ac præter cæteros ipse quoque Syluaria suffragator adhibendus, vt pari spiritus ardore succensi, deuotas Christo animas, Dei gloriæ & salutis hominum causa, tandem aliquando fundamus. Goæ.

GASPARIS VILELÆ AD
SOCIOS.



NON superiore, Cosmi Turriani missu, è Bunge discessurus Meacū, de mea profectioe feci vos per litteras certiores. Nunc, quoniã id fore vobis gratum atque iucundum existimo, ea persequar, quæ mihi ex eo tempore contigerunt: vt cum Deo Domino gratias agatis; tum fratrem hunc vestrū, & vestra consuetudine tanto locorum interuallo disunctum, supplicationibus vestris adiuuandum intelligatis.

Anno igitur à Virginis partu MDLIX, comite Christiano Iaponio, Laurentio nomine, probo iuvene, & lingua huius reumque peritissimo, nauigium ethnicorum conscendimus: iter autem nostrum (quod facillè iudicari potuit) aduersarius multis rationibus impedire conatus est. primū enim ipso nauigationis initio tanta repente malacia ac tranquillitas extitit, vt naus loco moueri non posset. Tum barbari, vt muneribus pacem ventumque Diis obtinerent, stipem singillatim a vectoribus corrogare ceperunt. Vbi ad me ventum est, negavi me vnus Dei conditoris cæli terræque cultorem, in quo spes meas omnes haberem repositas, quidquam in ipsorum delubra collaturum. quo illi responso adeò excanduerunt, vt eius incommodi causam apud me residere, ac proinde me in mare projiciendum esse affirmarent. Hic nos ad Deum

Deum mente animoque conuersi, cuius beneficio inflari vela manè postridie cæpta sunt. Sed cùm aliquot passuum millia processissemus, aduerso vento rursus retenti, quatrimum stare coacti sumus. Tum verò barbari planè in nos causam eius rei conferre, verbisque & significationibus conceptam iram ostendere; quæ tamen Domino miserante cohibita est. Denique ad portum quendam delati, ibique decem dies tempestate coacti subsistere, communi sententia decreuerunt, nequaquam nos secum ex eo loco auerendos: & ipso quoque nauarcho in eam sententiam adducto, nos descendere coegerunt: quem tamen, cùm aliam nauem nullam in eo portu offendissem, precibus placatum, inuitis omnibus perpuli, vt me vltra eum locum passuum sex & triginta millia deferret. Et quoniam nauarcho vltiùs progrediendum non erat; barbari circum naues quotquot in eo portu erant circumcurfare statim incipiunt, & gubernatoribus apertè denuntiare, si prosperam optent navigationem, nos omnino rejiciant: ita cunctis abeuntibus, nos in litore sumus relictis: sed paulo pòst diuinitus alio confestim nauigio appulso, tam feliciter nauigauimus, vt portum citius iis qui ante nos soluerant (cùm etiam aliquot eorum in piratas incidissent) sine vllò periculo tenuerimus. Tum denuo inflare barbari, & nauiculariis persuadere conati sunt, ne porrò nos ad urbem Sacaium veherent: sed frustra. etenim incolumes eò peruenimus quarto Idus Sextileis: qui dies quoniam diuo Laurentio erat sacer, ipsum Christi martyrem, eius nationis patronum, asciuimus, est autem vrbs Sacaium perampla, plurimisque ac pecuniosis mercatoribus frequèntissima, suisque legibus ac moribus more Veneto gubernatur. Hic nos ex itinere aliquantulum recreati, ad montem contendimus Frenoiamam, ab vrbe Meaco passuum millibus decem & octo. mons autem est permagnus: habitatur à Bonziis, & caput est regni, ad cuius radices iacet lacus plenus piscium, passuū nonaginta millia in longitudinem, vñ & viginti in latitudinem colligens, quem multi confluentes efficiunt amnes. in eius litore locus est ad montē pertinens cœnobii plus quingētis visendus, multis aliis bellorum injuria deletis, quæ quoddam trium millium & trecentorum summam implese dicuntur. Hæc autem cœnobia Bonzii variarum habent sectarum, bipedum superbissimi: ac ceteri quoque montis incolæ ad litteras natura propensi videntur, in quibus (vt opinor) excellerent, si se ad Christianam religionem adiungerent. iis nos Euangelii lumen inferre conati, nihil profecimus, & nemo nobis aures, præter senem quendam Bonzium, dedit: cui, & simul discipulis eius aliquot,

demonstrauimus vnum esse Deum opificem rerum omnium, animosque hominum esse immortales. tum ille mihi in aurem insuffrars, orationem meam, quamuis placitis Iaponiorum aduersaretur, planè sibi probari dixit, & præsertim quæ de animorum æternitate à me fuerant disputata: sed quominus Christi sacra susciperet, se Bonziorum metu capitisque periculo deterri. ubi igitur frustra nos laborare intelleximus, inde profecti, paucis diebus Meacum hyeme sum inuente peruenimus: est autem vrbs per ampla, tametsi maior olim fuisse traditur, cū esset eius longitudo passuum vnus & viginti millium, nouemque latitudo. Hanc montes editissimi cingunt: quibus in imis ingentia vbique & opulenta cœnobita atque ædificia antiqua cernuntur: quanquam seditionibus, & incendiis vna cum ipsa vrbe, magna ex parte disiecta & excisa; vt, quod nunc vrbs incolitur, priscae magnificentiae tenuis quædam velut imago esse perhibeatur. Regio est in primis frigida, partim ex copia niuium, partim ex arborum caduarum inopia. Sterilibus autè adeò, vt raphanis, rapis, malis insanis, & leguminibus vulgo vescantur. hæc autè ciuitas dicitur quodam religione ac litteris floruisse: cuius rei argumentum etiã illud afferunt, quod ex eadè vrbe monteq; omnes Iaponiorum secta manauerint, quarum principes ac magistri in his locis sibi in hoc vsque tēpus sedes ac domicilia collocarunt. Meaci igitur, conducto hospitio, cum nemo ferè ad nos ignotos adhuc & obscuros audiendos accederet, mihi faciendum existimaui, vt primùm omnium Regem Imperatorem honoris causa inuiserem, vt eo beneuolè propitiòque vteremur: deinde sumpta Cruce, in mediam viam ex arborum prodiens, Christū palam prædicare institui. quas ad voces ingentis continuò populi multitudo conuenit, alii rerum nouarum studio, alii etiã cauillandi atque irridendi. Quorū interrogationibus cum ita Deo adiuuante responderetur à nobis, vt ipsorum rationes planè infirmari ac refutari constaret; aduentus nostri fama totā vrbe ita peruasit, vt omnium sermone celebraretur: partimq; improbaretur nostra doctrina, partim etiam defensores alii quos inueniret. Bonzii quidem furentes circumcursare vicos, plebem nos incitare, Euangelium probris maledictisque proscindere, falsis etiam testibus criminari, nos carnes humanas vorare, reptantia domi nostræ ossa cadaverum: alii denique nos hominum spectatæ dæmonas dicere: hortari etiam vicinos, vt nos finibus pellicentur: adium verò domino exprobrare, quod nos in suis tectis morari pateretur: qui ipsorum dictis impulsus, mihi renuntiare iussit, vt confestim migrarè: cumq; incertus quò me recipere, haud ita con-

tinuò paruissem, stricto gladio in me impetum fecit, quamuis intelligeret, si me occidisset, se vel patriis legibus capite punitum iri, vel eius ignominia vitanda causa, mortem Iaponico more sibi vltro esse oppetendam. Ac meus quidem quis tum esset animi sensus ac status, cum impendentem mihi è barbari manibus ensen aspicerem, existimare potestis ipsi. Et sanè mihi affirmanti credite, fratres, permultum interesse, vtrum quis mortem apud se tacitus mediteretur & cogitet, an oblatam sibi propius intueatur ac cernat. Ego me (ad quem enim confugerem?) Domino totum commendavi ac tradidi, cum vna me res eo tempore solaretur, quòd inter eos terrores minalque verbum Dei in hac vrbe, quæ omnium Iaponicarum superstitionum est parens, disseminari & crescere intelligerè. Eo periculo perfunctus, cum iam aliquot Christianos fecissem, iniquorum furori concedere, & in alias aedes migrare constitui, quas nobis vini propola quidam exhibuit perincomodas. quippe quæ Ianuario mense in magna niuium copia, frigoribus maximis, & parietibus & omni alio munimento carerent. Hic nos maiore etiam animo ceptis institimus, Dei beneficio parati, vitam, si opus esset, in Christiana causa profundere, iamque & è ciuibus plures, & è paganis permulti Christo nomina dare non dubitabant, quamuis ob id ipsam vulgò despicerentur; & Bonzii, quamuis aliqua ex parte placati, nondam tamen calumniis ac maledictis nos lacerare desisterent, quinimmo ne vsquam consistere nobis liceret, communi consilio emptores ab eius taberna, qui domum nobis locauerat, auocare ceperunt: quo ille permotus incommodo, sapius egit mecum, vt inde migrarem; sed tamen sollicitudinem nostram miseratus, quòd nullus præterea foret nobis in vrbe locus, tres menses de habitatione commodare decreuit. quo temporis spatio multa frigoris, laboris, valetudinis incommoda non solum æquo, sed etiam libenti animo (Domino auxiliante) pertulimus. Iamque æstas appetebat, cum Regem rursus adiuiimus, vt nobis in vrbe tutò manendi faceret potestatem; ac, tametsi obtrectatores non defuere, feliciter tamen diploma statim abstulimus, mortis proposita pœna, si quis nos aut injuria affecisset, aut, quominus suscepto munere fungeremur, impedire ausus esset. Ea re & iniquorum impetus retardati, & Christianorum numerus ita auctus est, vt necesse fuerit per ampla domo ad eam rem coempta templum instruere, quòd non Christiani solum, sed etiam ethnici confluebant. quorum alii se ad Ecclesiam aggregabant, alii cum verba nostra vehementer probarent, Baptismi tamen petitionem se differre dicebant, quoad latius res Christiana patefceret.

Annun iam in opere versabamur, meliusque res ibat in dies, cum perpetuus ille hostis bonorum omnium, Bonzios, aliosque barbaros impulit, ut magna pecuniæ vi in cōmune collata magistratus corrumperent: qui muneribus delinuti inscio Rege nos summi cum ignominia exterminassent utique, nisi cognita re ethnice quidam primarius, vir bonus, & nostram causam apud Regem agere solitus, nocte antequam domum nostram irrumperent inimici, me per nuntium monuisset, ut Bonziorum rabiem in presentia declinarem, meque in arcem quandam suam ad sextum decimum lapidem ab vrbe reciperem. Consilio à Christianis probato, magna eorum manu, ea ipsa nocte, ad arcem usque deductus, ferè quadriduūm latui. Sed cum iam res postulare videretur, ut diutius abessemus, Meacum occultè regressi, ad Christianorum quendam diuertimus. quo tempore varius erat de nostro discessu populi rumor: cum alii iniuria, alii iure optimo nos oppido pulsos dicerent. Christiani verò clam eò ventitantes, quibuscunque rebus poterant, consolari nos & iuuare conabantur: quorum opera quattuor mensium induciis impetratis, ut interea de nostra mansione vel profectioe ageretur, in publicum magna omnium bonorum gratulatione prodiuimus, neque ita multo post facta ædes nobis est restituta. Quæ dum geruntur; ad Regem delatum est, contra ipsius edictum quam iniqui in nos Bonzii ac magistratus fuissent. qua re permotus, multo nobis in posterum diligentius cauit. aduersarii verò fracti ac debilitati non modò nos ultra vexare destiterunt, sed etiam facta iam nobis libera commorandi potestate, nonnulli fauere visi sunt. ita, quod consilium diabolus in nostram perniciem ceperat, id ipsum vel maxime nobis diuinitus profuit.

Restat ut nonnulla de superstitione sacrisque huius gentis attingam, ut ipsorum cacitate perspecta, eo magis enixè pro ipsius Dominum deprecemini. Primum Augusto mense concelebrant ludos, quos vocant Gibō, (quæ vox hominem significat) quod si ludus homini sacri esse dicantur: quorū eiusmodi est ratio: Primum in urbis vicis, opificūque collegia, describunt pegmata excogitanda moliendaque; inde vbi festus dies aduenit, veluti ad supplicationē populus coit, Agmen curtus quindecim vel viginti præcedunt, sericis pretiosisque tapetibus cooperti; in iis pueri multi psallētes, vel tympana pulsan, vel tibiis concinūt. Singulos autē curtus hominibus tricenis aut quadragenis impulsos sua quæque artificū turba sectatur. Alia deinde sequuntur vehicula hominibus armatis instructa, sericis itē variisq; prisca rerū monumentis ornata. Hoc ordinem pompa

ne pōpa delubrum præteruehitur, cuius delubri ea celebritas est: qua in re matutinum tempus omne consumitur. Sub vesperâ inde binæ lecticæ prodeunt: altera illius quæ colunt Dei, lecticariis ita cōpositis, vt præsentis numinis pondere valde fatigari premi q; videantur; alterâ esse aiunt amicæ cuiusdâ ipsius. neq; ita multo pōst, tertia lectica vxoris iustæ gestatur, cui simul ac maritus per nuntiū significauerit se vnâ cum pellice aduentare; lecticarii statim huc atque illuc lymphati discurrent, itaque vxoris zelotypiâ insaniâq; significant. Hic populus magna edit signa doloris atq; mœstitiæ: plorant multi, multiq; ad consolandum Deæ animum positis genibus eâ supplices venerantur. denique lecticæ coniunctæ ad phanum redeunt: atque ita ludis finis imponitur.

Neque ille minus miserabilis error est. Eodem Augusto mense biduum tribuunt colendis Manibus mortuorum. sub imminente noctem in ædium foribus lampadas multas accēdūt vario genere picturæ & ornatu: inde urbem tota nocte perambulant, alii religionis, alii etiam spectandi causa: magna etiam populi vis, cum aduerserascit, ex vrbe, aduentantibus (vt ipsi videlicet opinantur) suorum Manibus obuiam prodit. Vbi quendam ad locum peruentum est, quo loco eos sibi occurrere arbitrantur; humanis primum verbis excipiunt: *Felix* (inquiunt) faustusq; sit vester aduentus. Iamdiu aspectus vestri fructu caruimus: confidete parumper, ciboque vos ex itineris defatigatione reficite. Tum oryzam, poma, & alios apponunt cibos: quibus ea per inopiam non licet, ii aquam calidam secum afferunt: ibiq; totam horam morati, quasi sine epularum exspectent, precibus eos in suas domos inuitant; aiuntq; præcedere se, domus instruendæ causa, parandiq; cōuiuii. Vt biduū illud affluxit, accensis funalibus oppido plebs egreditur, lumina discedentibus præferens, ne scilicet in tenebris offendant, aut quopiam incurrant: inde in urbem reuersi, ædium tecta lapidationibus diligenter excutiunt, ne qui fortè ex Manibus (à quibus nimirum aliquod sibi metuunt damnum) occultè remanserint: tamen eos miserantur nonnulli, quod paruulos dicant esse, & si fortè eos in itinere imber oppresserit, extinguere misellos. Interrogati Iaponii, cur illis epulum præbeant, respondent, eos ad paradysum tendentes suum, qui abest leucarum decies millies millena millia, quod iter nos minus quàm triennio conficitur, fessos è via, recolligendarum virium causa huc diuertere. Per eos etiam dies omnia sepulcra diligenter purgant: Bonzii autem videlicet regnant; nemo est enim, re familiari quamuis exigua, quin ad expiandos ritè suorum Manes Bōziis munus aliquod afferat. Videtis fratres mihi

carissimi huius gentis errores & tenebras, in quibus hæret adeo pertinaciter, vt eam inde ægre admodum eruas. Obsecrate Dominum, vt eos pro sua bonitate conuertat.

Ad hæc, alios etiam agunt celebri cum certamine ludos Martio sanè detestabiles. Conueniunt post meridiem quibuscumque libuerit, armati, deorumque suorum imaginibus picti humeros, tum duas in acies diuisi, pueri primùm lapidibus, deinde cæteri sagittis & sclopis, mox contis, postremò gladiis dimicant, quæ ex pugna semper ferè nonnulli desiderantur, complures vulnera discedunt, omnibus qui in eo prælio quempiam occiderint, aut plagis affecerint, impunitate proposita. omnino bellicosa est natio. hoc ipsorum studium, hæc est oblectatio: militibusque pro premio ac dignitate capitum, quæ ex hostibus cæsa retulerint, præmia persoluuntur.

Dæmon autem tanto apud hosce miseros in honore est, vt eum magnificentissima phana exstruantur: in quibus horribili specie sese identidem offerens, cum alibi adoratur a populo, tum præsertim in monte suburbano, in quo fuisse quondam aiunt cenobitarum septem millia, quamuis nunc minùs multa visantur: quorum est vnum in primis opulentum, & confluenti omnium ordinum multitudine vsque adeò celebre, vt cum Reges bella gesturi ingentem auri vim ei delubro voueant, & victoria parta persoluant, tum infima quoque plebs in suis difficultatibus atque periculis edoceri auxilii causa confugiat. quibus dæmon per quietem apparens persuadet, se ipsorum religione placatum, eos è periculo eripiturum: perindeque iis cætera in posterum cessura, vt ipsum ritè negligenter coluerint. quibus ille artificijs ita imperium in has gentes exercet, vt magnopere metuatur, obseruetur, denique adoretur ab omnibus.

Ille quoque deplorandus hominum error est. Bonzium quondam, Combadaxi nomine, ante octingentos annos ferunt in hac vrbe versatum: quem equidem existimo hominis forma dæmonem fuisse: adeò nefaria scelera ab eo excogitata æterisque demonstrata narrantur. hunc tradunt deducere stellas è cælo, & furtim prædicere solitum: inuentorem etiam litterarum fuisse, quibus Iaponii vtuntur, sibi que multa eaque magnifica templa ædificari iussisse, extremaque iam ætate subterraneum sibi effodi specum, in quem vltro se condidit, cum diceret, se iam vitæ huius satietate teneri, & in eo specu viuentem velle quiescere ad annorum decem millies millena millia. quo tempore fore, vt magnus quidam in lapone doctor existeret, seque tum in lucem hanc esse rediturum.

sermone habito, se intra specum obturato ostio occludi imperasse. magnum est eius vbique nomen, & viuere etiamnum creditur, multisque se per visum offert, & ab eo plerique suppliciter opem implorant. anniuersaria verò illius diei solènia, quo die sese in specum abdidit, mirum quanta remotarum etiam nationum frequentia celebrentur.

Alii præterea aliis ætatibus fuere tres vel quattuor Bonzii summa eruditionis existimatione, quibus item magni honores habentur: sed vni præsertim, quem ante annum trigesimum vixisse perhibent, auctorem sectæ eius, quam Icoxos vocant: magna apud plebem auctoritate: cui sectæ Bonzius semper cum imperio præsidet, stupris flagitiisque palàm turpiter deditus. quem plebs nihilominus tanta pietate ac veneratione prosequitur, vt, eum si modò aspexerit, vim lacrymarum profundat, soluique se admissis noxis ab eo suppliciter petat. eidem tantum pecuniæ deferunt, vt magnam Iaponicarum diuitiarum partem vnus obtineat. Festos verò eius dies quotannis ita conferta populi multitudo concelebrat, vt in ipso cœnobii aditu, cùm fores aperiuntur, obtriti aliqui semper intereant: quibuscum ita præclare agi putatur, vt nonnulli religionis causa sese pedibus irrupentium vltro calcandos nec adósque substernant. Nōcte autem, oratio de laudibus eius dum habetur, tanta auditorum comploratio oritur, vt si publicè magnum aliquot incommodum ac vulnus esset acceptum.

Magna est etiam sanctitatis opinio Bonzii Nequiron, qui ante quingentesimum annum floruisse dicitur, & Foquexanæ familiæ princeps fuisse.

Hactenus de rebus Meacensibus; venio ad Sarcaianas. Ego Sacaium Cosmi iussu Meaco me contuli, vbi sum in præsentia: quam urbem, cùm ex concursu hominum ad nos audiendos (quorum aliqui iam baptizati sunt) lætam nobis animarum segetem allaturā; tum quòd copiosissima ac munitissima est, tutum nobis in tumultibus bellicis per fugium fore confidimus.

Multa vidi post meum aduentum memoratu digna, è quibus ne longior sim, vnum duntaxat exponam. Iulio mense festum diem agunt Daimaogini, quem excellenti sanctitate virum, asseclam aiunt fuisse præsci cuiusdam Imperatoris. hunc Sacaiani adorant, templis compluribus ei dicatis, & ludos eiusmodi faciunt: Horis pomeridianis viam vrbs longam ad passus ducentos transferis vtrinque tignis ac tabulatis obsepunt, ne plebi introspicere liceat: tum magna hominum multitudo à tribus passuum millibus eò contendit. in primo agmine idolum procedit equo infidens,

insidēs, stricta ingenti machera, pueris duobus deinceps comitantibus, quorum alter arcum eius & pharetram, alter accipitrem gerit; pueros multæ equitum turmæ certis insignibus distincta sequuntur, & magna præterea peditum vis, qui voto sese ei celebrati obstrinxere; saltantesque concinunt, Xenzairaqu, Manzairaqu; hoc est, annos mille voluptatis, mille millena millia gaudii. Hanc turbam Bonzii primùm candidati psallentes, deinde uersa nobilitas in equis mitrata, postremò quinque vel sex uentilicæ magno mulierum comitatu linteatæ sequuntur: extremum agmen claudunt ingentes armatorum copiæ, ad excipiendam Demagogini lecticam prodeutes ad viam, quam clausam esse dicebamus. Lecticam verò ipsam inauratam lecticarii ferunt viginti, & varias cantilenas velut intercalari quodam carmine concludunt, Xenzairaqu, Manzairaqu. Eandem, simulatque profertur in publicum, iactata suppliciter stipe, aliisque similibus venerari populus. Hanc ego superstitionem & alias in hac vrbe conspiciendas quas Dominus aliquando penitus abolere dignabitur. Mea enim ad Natalem Domini cum Christianis agendum post mensis quattuor cogitabam, ut mense Martio Sacaium denuo reuocaret, Christianamque rem omni conatu fulcirem, quoad nobis supplementum isthinc in tanta operariorum inopia submitteretur. Vos per Dominum obtestor, fratres mihi carissimi, animi inducat ad hanc prouinciã adeundam. Etenim si quod uisquam tempus amplificandæ Catholicæ Ecclesiæ fuit idoneum, nunc certè egregia sese præbet occasio. Iaponica lingua haud sennè difficilis est, utique ad intelligendum, patientia tantum animique submissione opus est, ad ea quæ Dominus permiserit peragenda: quas ille virtutes pro sua benignitate profectò impertietur iis, qui huic colendæ vineæ sese alacri animo obtulerint. Quem nos etiam atque etiam obsecramus, ut in animis uestris & omnium semper inhabitet. Sacaius, xvi. Calend. Septemb. MDLXI.

EX EPISTOLA ARIÆ SANCTII AD
SOCIOS.

EGo in hac vrbe fratres mihi carissimi operam nauo eurasidis ægotis, qui in Hospitali domo sunt; & simul pueros quindecim partim Iaponios, partim etiam Sinas, qui apud nos educantur, litteras & musicen doceo, quo maiore carumonia cultuque sacra in posterum peragantur: quam rem ad conuersionem barbarorum non mediocriter profuturam esse cõfidimus. In his pu-